



ILLVSTRISSIMO DO-
MINO D. FRANCISCO ZAPATA,
Comite de Barajas, Philippi I I. Hispaniarum Regis potentif-
simi, summo Præfidi, Magister Petrus de Aragon ordinis
Eremitarum D. Augustini, & in clarissima Sal-
manticensi Academia professor
publicus. S. P. D.



S S I D V A solitudine (princeps illustrissi-
me) quarebam diebus iam multis, qua ratione
hunc nostrum Augustinianum, quem professus
sum ordinem, de meo erga ipsum gratissimo ani-
mo, certum facerem. Obtulit autem sese quaesita
opportunitas, qua secundaria ista Theologica, &
nomini, & tanci principis favori committerem.
Admodum enim fortunatè contigit familia no-
stra, ut te supremum Hispaniarum gubernatorem,
& præcipuis totius orbis prouincys dantem iura, sibi vni clarissimum haberet pa-
tronum. Et licet beata ista fors omnibus sit nobis communis, mihi vero speciali
casu censenda est proprior: eo quòd charissimum filium tuum, & fratrem iam
nostrum Franciscum Zapata, quem vnicè amas, præcipua dilectionis studio sim-
prosequutus: ut omittam plures etiam benevolentia recordationes, quas germa-
nus meus D. Antonius del Castillo Fortocarrero, pro susceptis à te summis be-
neficijs immortalis gratiæ memoriam refererebat. Est autem debitum offi-
cium superstitis, ut eius qui à te obiit, quasi absentis negotio non desit. Quare no-
stros hos labores tibi defero, & pro magnis acceptis beneficijs per paruum
symbolum. At tu princeps illustrissime si oblata despicias,
votum ramen offerentis suscipias.

V A L E.